



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio V. De habitu fidei, & annexis ei donis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

QVÆSTIO V.

De Habitu Fidei & Annexis ei donis.

Explicato vtroque obiecto, & vtroque actu Fidei, multa poterant disputari de virtute ipsa Fidei permanente per modum habitus, nisi explicata ea essent ferè omnia, in prima disputatione vbi dictum est de horum habituum supernaturalium, existentia, quidditate, proprietatibus, & causis, possunt autem applicari facillimè habitui Fidei, quem explicare breuissimè primò possumus, deinde dona quædam ei annexa.

SECTIO I.

Prima productio, augmentum, & destructio habitus Fidei Theologicæ.

Suppono vt certum apud omnes Doctores quod Fides non est in animabus beatis, quia in illis inutilis prorsus esset cum nullum vnquam elicere posset actum, non etiam in damnatis in quibus nullum manet donum supernaturale: est autem sine dubio in animabus purgatorij, quæ sine illo nullum supernaturalem actum possent elicere, viatores quoque baptizati nunquam recipiunt gratiam quin simul Fidem recipiant. Difficultas igitur tantum est primò vtrum in peccatore qui gratiam non habet possit habitus Fidei, primò produci & augeri, secundo per quale peccatum destruat habitus Fidei.

§. I.

Vtrum habitus Fidei primò producat, & augetur in homine peccatore.

Prima dubitatio.

Ratio dubitandi est primò, quia licet omnino certum sit ex Fide quod habitus Fidei, per quodlibet peccatum mortale non destruitur, sicut destruiuntur habitus Charitatis, & virtutum moralium, tamen nulla ratio probat quod habitus Fidei qui est proprietas gratiæ, producat, etiam tunc quando nulla est gratia, quod etiam videtur negari Clementina vnica de summa Trinitate, vbi dicitur quod in baptismo adultorum infunduntur virtutes, quod falsum esset si ante baptismum produceretur habitus Fidei.

Secunda.

Secundò, si habitus Fidei prius producit, quam gratia sequitur intensiorem esse habitum Fidei, quam sit gratia, quod absurdum est, quia sic plus gloriæ habebit homo quam gratiæ habuerit, gloria enim respondebit Fidei.

Tertia.

Tertiò, absurdum est quod aliquis cum habituali peccato infidelitatis, habeat Fidem habitualem: si autem habitus Fidei producit in eo qui non habet gratiam, potest esse habitus Fidei simul cum habituali peccato infidelitatis, qui enim peccatum commisit infidelitatis respicere potest, & elicere actum Fidei, tunc habitus Fidei producet manente peccato infidelitatis.

Conclusio affirmans.

Dico primò, habitum Fidei posse primò produci, & augeri etiam in peccatore non habente gratiam, adeò vt quisquis verum elicit actum Fidei, semper accipiat habitum Fidei. Ita docent cum S. Thoma *quest. 6. art. 2. ad 3.* Caietanus, Bannes, Medina, Suares, Valentia, Granadus, & alij quos immeritò deserit De Lugo *disput. 16. sect. 2.*

Ratio est, quia si non posset habitus primò produci & augeri sine gratia, & Charitate, non posset etiam sine illa conseruari, si enim non producit habitus

Tom. I.

Fidei sine Charitate, productio eius pendet à productione Charitatis imò habitus Fidei pendet ab habitu Charitatis, sed si habitus pendet ab habitu Charitatis, non potest conseruari sine illo, ergo si habitus Fidei non potest primò produci sine Charitate non potest sine Charitate conseruari, si ergo quando Charitas destruitur conseruatur habitus Fidei ex Dei dispensatione, quamuis ex rei natura destrui deberet, certè in prima productione non est minùs probabilis illa dispensatio, cum eadem sit ratio, & omnia quæ probant non produci fidem sine Charitate, probant etiam etiam illam non conseruari.

Ad primam ergo Resp. allatam esse rationem cur fides & conseruetur, & primò producat sine gratia, quamuis sit eius proprietas, Deus enim dispensat cum peccatore vt ille semper habeat fundamentum vitæ spiritualis: Argumentum verò illud ductum ex Clementina probaret etiam quod Fides non produceretur ante baptismum in eo qui eliceret actum contritionis: Fides ergo in baptismo adultorum non semper primò producit, sed vel primò producit, sed vel augetur, quod vnum voluit Pontifex.

Ad secundam Resp. certum esse quod habitus Fidei est sapè intensior post peccatum, quam sit Charitas & gratia, cum enim Fides pereunte gratia non pereat, certè post iustificationem Fides & Spes sunt intensiores quam alij habitus, neque vllum in eo est absconditum.

Ad tertiam nego esse absurdum vt aliquis post peccatum infidelitatis commissum habeat simul habitum Fidei, cum peccato habituali infidelitatis quoad maculam, sed quoad intellectus tamen tenebras non erit tale peccatum cum habitu Fidei.

§. II.

Quale sit peccatum per quod habitus Fidei destruitur.

Destructio habitus Fidei multò est difficilior quam eius productio, controuertitur enim vtrum quolibet peccato mortali pereat Fides sicut perit Charitas, deinde vtrum peccatum infidelitatis quodlibet destruat hunc habitum, adeò vt nemo possit vnquam credere vllum articulum, si vnus negauerit.

Ratio autem dubitandi est primò, quia Fides pereunte gratia debet perire cum sit eius proprietas, neque afferri potest vlla ratio, quæ probet debere manere fidem, quæ non etiam probet debere manere penitentiam, cuius habitus deberet manere vt homo possit conuerti connaturaliter. Imò aliarum etiam virtutum actus possunt exerceri à peccatore, ergo debent manere illarum habitus destructa gratia.

Secundò, si habitus Fidei destruitur per peccatum infidelitatis, debet etiam destrui per peccatum infidelitatis solùm externæ, quod tamen falsum est, quia ille qui seruat interiùs fidem, seruat etiam habitum Fidei. Probatur sequela, quia per illud peccatum externum amittitur aliquis habitus cui opponitur, nullus autem est habitus cui opponatur hoc peccatum, præter habitum Fidei.

Tertiò, si habitus destruitur per peccatum infidelitatis, vel destruitur physice per illud peccatum, vel destruitur moraliter: si physice certè non destruitur totus per quodlibet peccatum: si moraliter autè non destruitur, quia sublato motu habitus Fidei, debet auferri etiam physice habitus Fidei, sed qui peccat peccato infidelitatis amittit motum Fidei, ergo peccatum infidelitatis destruet physice habitum Fidei. Imò alia sunt peccata grauiora peccato infidelitatis

GGGg

per

Solutio prima dubitationis

Secunda

Tertia

per quæ non destruitur demeritoriè habitus Fidei, ergo peccatum infidelitatis non destruit demeritoriè habitum Fidei. Denique quomodo fieri potest physicè ut aliquis sit Fidelis & infidelis.

Quartò, non destruitur habitus fidei totus per peccatum quodlibet infidelitatis si possit aliquis negare vnum articulum Fidei & credere omnes alios Fidei articulos, non potest autem afferri vlla ratio cur non possit aliquis negare vnum articulum Fidei, & alios credere negabit enim vnum articulum quem putat non esse sufficienter propositum, & credere alios quos notat esse sufficienter propositos, nam potest aliquis profiteri testimonium diuinum esse infallibile, & tamen negare Incarnationem quam negat esse à Deo reuelatam.

Conclusio.

Dico secundò, habitum Fidei non destrui per quodlibet peccatum mortale, sed solo tamen mortali peccato interno infidelitatis demeritoriè tantum, non autem physicè.

Prima pars: non destruitur Fides quodlibet peccato.

Prima pars certa est de Fide, definitur enim in Tridentino *sess. 6. cap. 15.* quod gratia iustificationis quolibet peccato amittitur non tamen Fides, & colligitur ex primâ ad Corinth. 3. *Si habuerio omnem fidem, Charitatem autem non habuerio, &c.* Ergo manifestum ex est Apostolo, quod haberi potest Fides sine charitate, & manifestè dicit Iacobus Apostolus *Fidem sine operibus esse mortuam in semetipsa*: Patres suffragantur quos afferunt Suares *lib. 11. de Gratia cap. 5.* Bellarminus *lib. 1. de Iustificatione cap. 15.* Ratio autem afferri non potest ex natura rei, quia Fides cum sit proprietas gratiæ non minus perire deberet quàm alij habitus, sola igitur obstat voluntas Dei, qui voluit ut peccator non infidelis radicem haberet per quam posset iterum conuerteri & redire ad cor eliciendo connaturaliter actus Fidei quod constat ex Scripturis & Concilijs.

Secunda pars: quod peccato infidelitatis destruitur.

Secunda pars asserit interire totum hunc habitum adueniente peccato mortali quolibet internæ infidelitatis. Sic enim colligitur ex Apostolo primâ ad Timoth. c. 1. *Quod quidam repellentes bonam conscientiam circa fidem naufragauerunt, & ad Titum cap. 1. Subuersus est qui huiusmodi est & delinquit cum sit proprio Iudicio condemnatus.* Deinde expresse definitum habetur *cap. illo 15.* Tridentini, quod intelligi non possit de Fide actuali rectè ostendit De Lugo contra Vasquem. Quomodo enim fidem ille amitteret actualem quam implicat haberi ab eo, qui committit peccatum infidelitatis. Ratio autem est sola Dei voluntas qui noluit ut maneret Fidei habitus in eo, in quo non posset actum elicere sibi proprium.

Tertia pars destruitur demeritoriè.

Tertia pars, quod moraliter solum & demeritoriè peccato illo destruitur habitus Fidei, negatur à Thomistis & à Vasque, sed communius tamen asseritur.

Ratio est, quia si physicam haberet repugnantiam habitus Fidei cum peccato infidelitatis, actus infidelitatis etiam indeliberatus, & venialiter tantum malus deberet illum expellere, hoc autem est pro certo falsum, ergo habitus Fidei moraliter solum expellitur per infidelitatem. Imò totus habitus Fidei non deberet expelli per vnum peccatum.

Hæretici nihil credunt.

Dico tertio, implicare omnino contradictionem ut ille qui culpabiliter negat vnum articulum Fidei sufficienter propositum, credat Fide diuinam vllum alium articulum, atque ita nullam in hæreticis esse posse fidem vllius veritatis reuelatæ. Conueniunt in eo cum S. Thoma *quæst. 5. art. 3.* Catholici omnes Doctores, sed ratio difficilis est: neque audiendus est vllò modo Hurtadus qui hanc impossibilitatem refert ad solum Dei decretum nolentis concurrere ad actum supernaturalem cum illo qui est infidelis.

Ratio enim à priori petitur ex eo quod sæpè dixi motiuum adæquatum Fidei esse reuelationem omnino puram, signa verò non ingredi rationem formalem obiecti Fidei: ex quo argumentor, ille nullum Fidei articulum credere potest Fide diuinam, qui non potest credere aliquid propter solam reuelationem excludendo motiua credibilitatis, sed qui culpabiliter negat vnum articulum sufficienter propositum, non potest aliquid credere propter puram reuelationem excludendo motiua, ergo ille nihil potest credere Fide diuinam. Probatum minor, ille qui credit propter solam reuelationem exclusis motiuis credit omnia illa in quibus est eadem reuelatio, etsi non sint eadem motiua, sed qui culpabiliter negat vnum articulum verum non credit omnia in quibus est eadem reuelatio, quia non videt eadem motiua, ergo qui negat vnum articulum, non potest credere propter puram reuelationem exclusis motiuis.

Vergetur ergo argumentum, debet dari aliqua ratio quæ moueatis ad credendum potius vnum articulum sufficienter propositum, quæ te non moueat ad credendum alium sufficienter propositum. Illa ratio quæ te mouet non est sola reuelatio quæ repetitur in articulo quem negas, ergo id quod te mouet est aliquid præter reuelationem, propter illam ergo solam non credis. Confirmatur exemplo Charitatis; qui enim contra Deum agit in materia graui, non potest in alia materia operari ex charitate, quia cum motiuum charitatis sit bonitas Dei omnino pura necesse est ut charitas ratione talis motiui virtualiter includat voluntatem præferendi Deum omnibus ijs quæ grauius pugnant cum eius amore: sic actus charitatis quia nititur primâ veritate reuelante omnino pura, continet implicite assensum ad omnia quæ prima veritas reuelat; In vtraque igitur virtute illud ex motiuo nascitur ratione cuius credit Fides super omnia, & repugnat cum dissensu ad obiectum reuelatum sufficienter propositum.

Aliunde rationem hanc petit De Lugo *disp. 17. §. 122.* Probat enim hanc impossibilitatem ex voluntate credendi non autem ex motiuo Fidei: Idem enim inquit hæreticus circa Incarnationem credere non potest Trinitatem, quia omnis actus Fidei debet imperari à voluntate vniuersali assentiendi omnibus ijs quæ à Deo reuelata erunt: Id est ab affectu submittendi omnino intellectum Deo in omnibus quæ proponuntur sufficienter ut à Deo reuelata, quia illa est voluntas credendi ex toto corde & super omnia.

Sed hæc ratio parum efficax est si non recurrat ad obiectum Fidei quod debet esse pura reuelatio; si enim actus qui credit Trinitatem ut reuelatam, non pure credit quia Deus prima veritas dixit, sed quia hoc mihi constat ex motiuis, possum etiam velle credere quia hoc mihi constat ex motiuis: non enim probabitur, quod voluntas obiectum habeat ita vniuersale, quin probetur similiter quod Fidei motiuum est ita vniuersale, si enim voluntas credendi super omnia præcedat actum Fidei: actus etiam Fidei est assensus quo credo super omnia reuelationi sufficienter propositæ, ergo tam requiritur vniuersalitas obiecti in actu Fidei, quàm in voluntate credendi. Nam sicut voluntas amandi Deum est voluntas vniuersalis, sic quilibet Dei amor est super omnia, & vniuersalis ratione motiui.

Ad primam Responsum sæpius est, quod si attendatur sola rei natura pereunte gratia perire debet etiam Fides equè ac poenitentia. Sed ex Scripturis & Concilijs constat quod ex Dei dispensatione manent in peccatore Fides & Spes, non constat quod maneat poenitentia, & alij habitus. Adde quod disparitas etiam aliqua

Ratio à priori ex motiuo Fidei.

Confirmatur exemplo charitatis.

Ratio de Lugo.

Non satis facit.

Solutio primæ dubitationis.

aliqua potest afferri ex eo quod Fides absolute ac determinate ad conversionem, est necessaria, non est autem determinate necessaria poenitentia specialis, sed charitas vel alia poenitentia generalis possunt sufficere.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Respondeo habitum Fidei non destrui nisi per actum internum infidelitatis, si enim Fides exterius tantum negetur, non perit Fidei habitus, non enim est hæreticus qui sic negat, nec est indispositus ad credendum. Imò nec amitteret habitum Fidei qui ex ignorantia etiam culpabili contra Fidem peccaret, vel etiam qui exponeret se periculo negandi Fidem, quia ille adhuc dispositus esset ad credendum & non esset hæreticus: quod idem dici debet de illo qui exterius Fidem non confitetur, quo tempore tenetur illam confiteri: qui autem vel dubitaret de aliquo articulo, vel cum aliqua formidine assentiretur, ille amitteret habitum Fidei, quia negaret Fidem esse certam, sicut etiam qui diceret se nolle unquam elicere actum Fidei.

Solutio
tertiæ.

Ad tertiam Respondeo satis ostensum esse quod habitus Fidei destruitur demeritorie tantum non autem physice per peccatum infidelitatis: verum ergo est, quod sublato motivo Fidei aufertur habitus Fidei prout actualiter operans, non aufertur habitus Fidei prout manens habitualiter. Fateor alia esse peccata grauiora propter quæ habitus Fidei non destruitur, quia Deus solum peccatum infidelitatis ea punit speciali poena, quia per illud indispositus homo redditur ad credendum, non redditur indispositus per alia peccata. Ille qui habet Fidei habitum, & peccatum infidelitatis non diceretur Fidelis, quia nemo est absolute fidelis propter solum habitum.

Solutio
quartæ.

Ad quartam Respondeo probatum efficaciter esse, quod qui culpabiliter negat articulum unum sufficienter propositum, nullum alium articulum credere potest Fide diuina, quia non potest credere propter solum reuelationem exclusis motiuis credibilitatis, sicut qui vult Deum offendere mortaliter furando, non potest elicere vllum actum veræ charitatis. Nego itaque quod possit aliquis credere Fide diuina testimonium Dei esse infallibile, & tamen culpabiliter, neque Incarnationem sufficienter propositam, quia primum illud non credit propter solum testimonium primæ veritatis, alioqui crederet etiam Incarnationem.

Instantia,
prima.

Instantis primò, hæreticus qui non credit Eucharistiam, credere tamen potest Incarnationem si potest credere propositionem illam vniuersalem, quidquid Deus reuelauit est verum: sed potest credere propositionem illam vniuersalem, nam ille assensus non pugnat cum assensu hæretici qui negat Deum reuelasse Eucharistiam. Sicut posset aliquis dicere, quod omnes Pontifices habuerunt supremam dignitatem Ecclesiæ, & tamen negare, quod Urbanus I. talem dignitatem habuerit, eo quod credat illum non fuisse unquam Pontificem, ergo hæreticus dicere potest vera esse quæ Deus dicit, quamuis neget Christum esse in Eucharistia, quia negat reuelatum hoc esse à Deo.

Præcludi-
tur.

Respondeo sæpè dictum esse quod Deus quoties reuelat articulum aliquem, & ad eum credendum obligat, reuelat etiam se dicere; quoties ergo aliquis negat ipsam reuelationem sufficienter propositam, non potest credere hanc vniuersalem, quidquid Deus reuelat est verum, quæ propositio vniuersalis omnino pugnat cum hæretico assensu quo negatur Deum reuelasse aliquid quod reuera reuelauit, quia si Deus reuelat se reuelare, implicat ut negem Deum reuelasse, quin negem vera esse omnia quæ Deus re-

Tom. I.

uelauit: non est ergo par ratio de Pontifice, quia non est reuelatum quod Urbanus I. unquam vixerit aut fuerit Pontifex. Denique verum est hæreticum illum qui negat Eucharistiam, non posse credere Fide diuina quod quidquid Deus reuelat, est verum, quia non potest credere illud propter solum reuelationem exclusis motiuis credibilitatis.

Altera in-
stantia.

Instantis secundo, assensus Catholici circa Trinitatem non est magis vniuersalis, nec magis extenditur ad Eucharistiam, quam assensus hæretici circa Trinitatem, quia non habet pro obiecto explicito Eucharistiam, cum tunc Eucharistia non proponatur neque de ea cogitur.

Præcludi-
tur.

Respondeo assensum Catholici circa Trinitatem esse magis vniuersalem ratione obiecti formalis & magis extendi virtualiter ad Eucharistiam, quam assensum hæretici circa Trinitatem, quia motiuum Catholici est sola prima veritas reuelans, motiuum autem hæretici est eadem prima veritas prout taliter cognita & acceptata, vnde fit ut assensus Catholici virtualiter & implicitè ratione motiui extendatur ad omnia reuelata: sicut actus charitatis quilibet semper extenditur virtualiter ad omnia præcepta. Fateor itaque fieri sæpè posse ut aliquis inculpabiliter nesciens aliquem articulum esse sufficienter propositum, neget illum articulum, & credat alios quos cognoscit esse sufficienter propositos: Ideò hæcenus de illo duntaxat loquutus sum hæretico, qui aliquem negat articulum quem cognoscit esse sufficienter propositum.

SECTIO II.

De donis supernaturalibus Fidei annexis.

Fidem Theologicam obscuram & tamen certissimam, sequuntur connaturaliter dona quædam supernaturalia, quæ illi annexa sunt, & mirabiliter illam ornant atque perficiunt, suntque deriuata semper ab eius lumine. Illa verò sunt, vel dona quædam Spiritus sancti, quæ ad intellectum pertinent, vel sunt certa quædam Fidei lumina & dona varijs locis ab Apostolo numerata, de quibus pauca dicere satis erit.

§. II.

Quenam dona Spiritus sancti sunt annexa Fidei.

S. Thomas quæst. 8. & 9.

Dona Spiritus sancti quid sint, & quomodo differant à virtutibus tum Theologicis tum moralibus, dictum ex prima disputatione, sunt enim habitus quibus mouentur iusti ad promptè obeundos actus hæroicos virtutum ex instinctu Spiritus sancti. Quatuor ex his pertinent ad intellectum, alia tria perficiunt voluntatem.

Ratio do-
bitandi.

Difficultas igitur est, quor sint dona illa intellectus, sapientiæ, scientiæ, ac Concilij, & quomodo differre possint à Fide in modo cognoscendi: dictum enim sapius est, solum esse Fidem quæ cognoscat supernaturaliter obiecta dum sumus in via vel ergo hæc dona cognoscunt euidenter obiecta supernaturalia, & hoc esse impossibile dictum est sapius, vel non cognoscunt & sic non differunt à Fide.

Afferro
generalis.

Dico primò, quatuor dona Spiritus ad intellectum pertinentia, intellectus nimirum, sapientiæ, scientiæ, consilij, ita esse annexa Fidei Theologicæ ut ab illa tamen differant motiuis, & ab illa pendeant.

GGGg 2

Primò

Donum
intellectus.

Primo ergo donum intellectus est supernaturale lumen quo intellectus subtilius quædam penetrat de obiectis Fidei, quam attingere possit naturale lumen, estque annexum virtuti Fidei: quia scilicet proprium huius doni munus est reddere hominem aptum ad penetranda obiecta Fidei, non quidem iudicando de illorum veritate, quia illud proprium est munus Fidei & est obscurum, sed de sensu dicentis, quæ penetratio profundior videtur duas habere partes: Primo enim articulos Fidei donum hoc penetrat eorumque sensum, credibilitatem, verisimilitudinem cum tanta claritate, ut quasi per reflexionem fiat in homine, quædam experimentalis evidentia quod ibi interueniat instinctus & operatio Spiritus sancti. Vnde pertinere potest ad hoc donum, iudicium credibilitatis quando Fidem sequitur. Secundo istius doni est etiam munus explicare nouo modo articulos Fidei, eorumque sensum, verisimilitudinem & credibilitatem, & illa omnia nouis confirmare rationibus. Obiectum ergo huius doni sunt veritates reuelatæ quarum sensum, verisimilitudinem, & motiua credibilitatis penetrat, explicat, probat cum quadam claritate per instinctum Spiritus sancti.

Donum
sapientiæ.

Secundo, donum sapientiæ lumen est intellectuale supernaturale Fidei annexum & charitati, per quod cum euidencia quadam experimentalis, res diuinæ Fidei creditæ, præsertim verò ea quæ ad Deum pertinent iudicantur, gustantur ex speciali motione Spiritus sancti tribuente rerum illarum euidenciam cognitionem & gustum. Primo enim donum sapientiæ ita pertinet ad intellectum ut in ipsam etiam voluntatem redundet, est enim lumen quoddam diuinorum, ex quo sequitur eorum gustus, & suauitas in ipsa voluntate, hic autem sapor causatur præsertim à charitate, non enim sapiunt nisi quæ amantur ut statim dicam. Deinde verò sapientiæ differt à Fide cuius munus est iudicare res reuelatas esse veras ex motiua reuelationis, donum autem sapientiæ apprehendit eas ut præsentis, ut magnas & amabiles, & totam earum suauitatem degustat cum experimentalis quadam euidencia causata per instinctum Spiritus sancti infundentis eorum gustum quod vnum videtur voluisse S. Thomas *art. 1. ad secundum*, cum dixit donum sapientiæ distingui à Fide, quod hæc assentiat veritati diuinæ secundum se ipsam, ad donum autem sapientiæ pertineat iudicare secundum veritatem diuinam. Denique donum sapientiæ annexum est maxime charitati præsupponit enim Fidem, charitatem, & donum intellectus, Fidem, quia est experimentalis, & euidens quædam scientia veritatum per Fidem creditarum: donum intellectus præsupponit tanquam habitum principiorum quo penetratur sensus & verisimilitudo mysteriorum: præsupponit etiam amorem, quia nunquam intellectus potest sine illo habere iudicium illud clarum, & voluntas gustum suauem diuinorum, amor enim efficit ut res amatas clariùs intueamur, & degustemus, ut propterea iudicium illud à S. Thoma dicatur esse secundum connaturalitatem ad res diuinæ, quæ fit per charitatem: eius enim proprium est vnire nos Deo, & ex hac vniione oritur æstimatio illa & gustus diuinorum, qui sunt actus proprii sapientiæ.

Donum
scientiæ.

Tertio, donum scientiæ lumen est quoddam supernaturale annexum Fidei & spei quo euidenter ex instinctu Spiritus sancti res diuinæ iudicantur dignæ ut credantur, & amantur, sed per rationes creatas inferiores spectant ad beatitudinem æternam. Differunt enim donum scientiæ, & sapientiæ à Fide quæ immediatè fundatur in reuelatione, & à dono

intellectus quod sensum, verisimilitudinem, & credibilitatem rerum diuinarum, sapientiæ verò & scientiæ res easdem æstiment magnas & amabiles, & illas amant ac degustant. Differunt verò inter se, quod sapientiæ res diuinæ æstiment & sapiat per rationes ad Dei attributa, scientiæ verò ex rationibus spectantibus ad hominum salutem.

Donum
consilij.

Quarto, donum consilij est lumen quoddam supernaturale practicum respondens prudentiæ infusæ, quo rectè iudicat homo iustus ex instinctu speciali Spiritus sancti, quid, & quando, & in quibus circumstantijs operari debeat. Differt donum istud à tribus primis quod proprium eius munus sit iudicare practice de iis quæ conuenit agere vel non agere. Vnde respondet prudentiæ cuius munus est iudicare quid honestum sit agere in materia virtutum.

Alia tria
dona.

Ex quibus non est difficile colligere quomodo alia tria dona respondeant tribus alijs virtutibus Cardinalibus, cum quibus idem habent obiectum materiale, & formali solum motiua differunt. Donum enim pietatis, iustitiæ responderet, quia omnes includit actus qui sunt ad alterum, licet denominetur ex præcipua iustitiæ parte quæ circa materiam religionis exercetur. Donum timoris, temperantiæ responderet, quia timor reuerentialis est actus humilitatis quæ pars est temperantiæ: de fortitudine non potest esse difficultas.

§. II.

De donis Fidei ab Apostolo enumeratis, & annexis Fidei Theologica.

Dico secundo, commodissimè ab Apostolo enumerari quadruplex Fidei donum, primum est fructus Spiritus sancti, secundum est Fides gratia gratis data, tertium Fides miraculorum, quartum Fides Prophetæ.

Fides vna
ex fructibus
Spiritus
sancti.

Primo ergo Apostolus ad Galatas 5. duodecim enumerans fructus spiritus, oppositos operibus carnis, vnum ex illis appellat Fidem, *mansuetudo* (inquit) *Fides modestia, continentia, castitas*, duodecim verò illi fructus non sunt aliud quam actus quidam perfectissimi virtutum perfectarum, qui sunt velut vltima perfectio virtutis: *Eo quod* (ut loquitur Ambrosius lib. 2. de Paradiso cap. 13.) *possessores suos sancta & sincera delectatione respiciant, quemadmodum fructus arborum dicitur, id quod cum suauitate, vltimum ex arbore solet colligi*: Actus autem Fidei perfectissimi talem omnino habet suauitatem, & opponitur sectis quæ vnum sunt ex operibus carnis. Imò aliarum omnium virtutum actus perfecti, vocari eodem iure possunt fructus Spiritus, & beatitudines, quæ sunt opera quædam excellentia virtutum, quibus propter excellentiam specialiter promissa est beatitudo id est eo quod media sint infallibilia beatitudinis æternæ, ac proinde in quibus tota sit beatitudo huius vitæ.

Fides gra-
tis data.

Secundo Apostolus primæ ad Corinth. cap. 12. numerans gratias gratis datas, alij datur (inquit) *Fides in eodem spiritu*: consistit autem in eminentia quadam cognitionis mysteriorum Fidei, quæ idoneus homo redditur ad instruendum alios in ijs quæ ad Fidem pertinent sine apparatu verborum, vnde nec adæquatè distinguitur à virtute Fidei saltem semper, non enim numeratur ab Apostolo inter has gratias secundum quod est quædam virtus hominem in se ipso perficiens, sed quatenus supereminentem quandam Fidei certitudinem ex qua homo fit idoneus ad instruendos alios in ijs quæ ad Fidem pertinent.

tenent. Superaddi itaque donum istud gratuitum, virtuti Fidei Theologicae, abundantiam quandam Fidei, secundum quam homo cognoscat non solum quid credere ipse debeat, sed etiam quo pactum id ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, unde vocatur propriè sermo Fidei. Vide quæ dixi olim de gratis gratuitis.

Fides miraculorum.

Tertia est fides miraculorum quæ pertinet propriè ad Fidem Theologicam quæ prima est radix Fidei miraculorum, vt rectè probat Suares *disp. 8. sect. 1.* contra Vasquem *prima 2. disp. 109. cap. 4.* sic colligitur ex pluribus scripturis, si habueritis Fidem vt granum Sinapis, si habueritis Fidem & non hesitaueritis, Ad eam verò Fidem, quæ veluti impetrat miracula & ad illorum effectum semper requiritur, duo semper actus concurrunt, Primò actus generalis quo credis Deum esse omnipotentem & fidelem in promissis. Secundò firma persuasio intellectus quod Deus de facto miraculum illud patrabit, quod iudiciū elicitur sapissimè per speciale auxilium gratiæ à Deo infusum, quo redditur homo moraliter certus de tali miraculo, unde nascitur fiducia illa in voluntate, quam propriè vocatur fides miraculi.

Fides Prophetæ.

Quarta demum appellatur fides prophetiæ, quam explicat sanctus Thomas *Prima secunda quæst. 11.* & sequentibus Suares *hic disp. 8. & prolegom de gratia cap. 5.* significat autem prophetia propriè cognitionem quandam ex Dei reuelatione inditam quæ res longè à sensu, & naturali hominum intelligentia remota, cognoscuntur diuinitus & prædicuntur, alia verò Prophetia est in solo intellectu, quæ non facit Prophetam extaticum, alia in imaginatione quæ facit extaticum, aliquando in sensibus externis. Cum ergo illa cognitio prophetiæ fundetur in Dei reuelatione potest aliquando esse actus Fidei Theologiæ, à qua tamen differet essentialiter si fundetur in reuelatione euidente, differet verò tantum accidentaliter, quæ fundabitur semper in reuelatione immediatè facta ipsi Prophetæ, & ita dicit infusionem nouarum specierum, & noui luminis.

QVÆSTIO VI.

De peccatis Fidei Theologiæ oppositis.

S. Thom. q. 10. ad 15.

TRia S. Thomas ponit genera peccatorum opposita Fidei; actui enim eius interno est opposita infidelitas: confessioni externæ fidei, opposita est blphemia: donis ei annexis opponuntur cæcitas mentis & sensus hebetudo, omnia vt explicem distinctissimè, primò inquirendum est quænam sit infidelitatis natura, malitia, propriæ speciei. Secundò hæresis natura, conditiones, peccata, malitia,

SECTIO I.

Infidelitatis quidditas, malitia & species.

Quidditas infidelitatis.

Certum est primò, peccatum infidelitatis rectè defini, peccatum ita oppositum internæ Fidei ex obiecto suo vt cum eo sit impossibile, voluntas credendi & actus Fidei, nullum enim est peccatum infidelitatis cui definitio hæc non conueniat, non negare articulum Fidei, vel de illo dubitare sunt peccata infidelitatis, quia excludunt voluntatem credendi & actum Fidei, error autem inculpabilis circa Fidem, & ignorantia etiam culpabilis non excludunt voluntatem & actum Fidei, propterea non sunt pec-

Tom. I.

cata infidelitatis, quamuis aliquando peccata sint contra Fidem.

Difficultas inter Theologos esse potest, vtum infidelitas aliquando ita consummari possit in voluntate, vt non necessario sit in intellectu. Respondent affirmatiuè aliqui cum Valentia *quæst. 10. part. 1. Hurt. disp. 68. sect. 2.*

Dubium incidens.

Probantque primò, quando aliquis suspendit voluntariè assensum omnem circa res reuelatas peccat solum in voluntate, neque reperitur quidquam in intellectu & tamen illud est peccatum infidelitatis, ergo illud in sola voluntate consummari potest.

Prima ratio dubitandi.

Secundò, alia peccata consummantur in sola voluntate, ergo & istud. Imò si aliquis diceret non crederem Deum esse, si hoc non demonstraret ratio naturalis, certè ille infidelis esset & tamen nullus in eius intellectu esset error.

Secunda

Tertiò si dicas, ego cras dissentiam obiecto reuelato, nunc autem non dissentio, peccas nunc infidelitate, quamuis sola voluntate pecces.

Tertia.

Respondeo tamen peccatum infidelitatis regulariter & moraliter nunquam in sola voluntate consummari, sed residere in ipso etiam intellectu.

Resolutio dubij.

Ratio est, quia quoties voluntas imperat intellectui dissensum, vel negationem assensus circa obiectum reuelatum implicat vt intellectus non obediat voluntati, ergo naturaliter repugnat vt in sola voluntate consummatur infidelitas, id est vt tota infidelitas sit voluntas dissentendi: nisi fortè Deus intellectui negaret dissensum, quod est contra legem ordinariam, unde dixi regulariter hoc non contingere.

Ad primam autem Respondeo verum esse quòd suspendere voluntariè assensum circa veritatem sufficienter propositam, est peccatum infidelitatis, sed nego illud posse contingere sine iudicio intellectus erroneo, quod motiua proposita contra Fidem reddunt dubium articulum reuelatum. Propter hoc enim iudicium imperat voluntas intellectui suspensionem hanc assensus.

Solutio primæ difficultatis.

Ad Secundam Respondeo alia peccata externorum actuum consummari posse in voluntate quia voluntas imperare potest potentiis externis, quin actus sequatur externus, non potest imperare intellectui dissensum, quin sequatur dissensus obiecti obsecutè reuelati. Qui diceret non crederem Deum esse nisi demonstraretur, haber illum errorem in intellectu, quod nihil debeat credi nisi demonstretur.

Solutio secundæ.

Ad tertiam Respondeo eum qui diceret cras dissentiam obiecto Fidei, decerneret peccare peccato infidelitatis, sed non peccaret nunc tali peccato.

Solutio tertiæ.

Certum est secundò, infidelitatis malitiam ex genere suo, & cæteris partibus peccatum esse grauius quàm peccatum quodlibet oppositum virtutibus moralibus: Imò & illud simpliciter esse grauius quàm sit desperatio, quæ tamen secundum quid grauius peccatum est quàm infidelitas.

Gravitas peccati infidelitatis.

Ratio verò tota petitur ex generali doctrina de grauitate peccatorum alibi tradita quod quoties verum peccatum vel opponitur virtuti nobiliori, vel virtuti magis præceptæ, toties peccati malitia grauior est, quàm malitia peccati alterius, infidelitas autem opponitur Fidei virtuti nobiliori & magis præceptæ, quàm vlla virtus moralis imò Fides magis est præcepta, & nobiliori modo respicit Deum quàm spes, quæ respicit Deum vt bonum nostrum, Fides autem Deum respicit vt summè veracem in se ipso, ideo infidelitas absolute peccatum est grauius quàm desperatio quamuis illa propter periculum non respiciendū peccatum sit grauius secundum quid.

Certum est infidelitatem bene diuidi tres in species, paganisimum Iudaismū, & hæresim, quæ non sunt essen-

Triplex infidelitatis species.

GGG 3